



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. In Poloniæ Regno.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

Ad urbem Chersonam in mari procul à continenti 4. pass. milibus, post mortem S. Clementis Papæ inuenta est ædicula ex marmore mirabiliter constructa, in quâ Sancti corpus seruabatur in arcâ marmoreâ. Quotannis diebus octo ad festum eius mare recedebat, & Christiano populo aperiebat iter, quibus clapsis magno cum fragore regrediebatur. *Aëta S. Clementis Pape.*

Hanc suo tempore stetisse, ait *F. Guilielmus de Rubugnis*. Hic quoque miraculum contigit celebratissimum, quando mulier præ festinatione, fluctibus imminentibus in eâ ædiculâ filium reliquit, quem vertente anno viuum, & spirantem inuenit. *Eadem Aëta.*

### §. 3. In Poloniæ Regno.

MINORES volucres in Poloniâ, ut Hirundines, & Cypseli, des Martinetz, implicitis inter se pedibus, & alis conglobatax, in lacus, paludes, & piscinas se immergunt hyeme, ac postmodum vere nouo indidem existunt, ac sese explicantes euolant. Extræ per hyemem retibus à pescatoribus videntur sine ullo motu, & sensu; mox ad ignem applicitæ, vel in hypocausto positæ reuiniscunt, & euolant, sed statim læsæ frigore, aut nimio calore emoriuntur. *Martinus Cromerus lib. 1. sue Polonie.*

Fluuius Narua in Poloniâ nullas animantes veneno infectas ferre potest: & si qui serpentes nauigiis adhæserit per Bugem Fluuium in Naruam descendenteribus, tactam aquam illico cum sibilis refugiunt. *Dlugossus, & Cromerus.*

In Maiori Poloniâ prope urbem Stem reperiuntur pocula, & vasæ fictilia, à naturâ efficta, quæ extracta instar lapidum indurantur. *Michouius lib. 1. cap. 3. & Cromerus auctoꝝ.*

In agro Cracouiensi sal ex terrâ ad instar lapidum, similique cum eis duritie exscinditur: & iam specubus latè excauatis multæ villæ, aliquot oppida, fulcris sustinentur: fuluus est, & quasi luto aspersus. *Cromerus in suâ Poloniâ.*

Cracouiæ lacus est, in quem proiectus erat digitus S. Stanislai: habet is aquas quæ si in usum quempiam hauriantur noxiæ sunt, at si ad quaslibet ægritudines sumuntur valde prosunt. *Ioannes Longinus Canonicus Cracouiensis.*

Ad urbem Scepusium riuus ex arduis montibus profluens cuius guttæ in lapides concrescunt: sic ut sponte ex iis existant ful-

*cra sustentantia canales, quibus riuus ille ad moletrinas deriuatur.*

*Cromerus lib. I. Polon.*

Ibidem fons siue lacus pestilentem aquam, & vaporem emitit, cuius non modò gustu, sed etiam afflatu animalia, & aues encantur. *Idem Cromerus.*

In tractu Chelmensi in Russiâ Nigrâ rami pini arboris defecti, & in terra iacentes, anno vno, aut duobus in faxa, & silices mutantur. *Michonius, & Paulus Ionius.*

In eodem Chelmensi tractu lacus *Biale* dictus, hoc est *Albus* per antiphrasim, cuius aqua Aprili & Maio mense lauantes nigros reddit. *Cromerus lib. I. Poloniae.*

In territorio Belzensi in Russiâ Nigrâ, lacus certis temporibus, hoc est altero, vel tertio quoque anno cum mugitu fluctus attollit, exhausturque propè ad fundum, aquis cauernas vicini montis subeuntibus. *Dlugossus, & Cromerus.*

E salinis Bochnensibus sal eruitur concreta pici simile quem carbunculum vocant, is tritus & epotus soluit alum. In his autem fodinis audiuntur nonnumquam voces assimilantes latratus canum, cantus Gallorum, & aliarum animantium, idque portendere calamitatem aliquam vulgò autumant indigenæ. *Cromerus lib. I. Poloniae.*

In Podolicis campis, & Russicis reperiuntur coturnices pedibus virientibus, quarum efsus spasmum inducit, seu neruorum contractionem. *Idem Cromerus.*

In desertis Podoliæ Borystheni fluuiio vicinis, lacus visitur cuius aqua ardente Sole in solidum salem concrescit, sic ut homines cum iumentis & curribus, in eo sicut in flumine congelato versentur, cùmque in frusta concidant, iumentisque, ac plaustris imponant. Quamprimum autem pluit soluit hæc glacies, non sine periculo insidentium. *Cromerus lib. I. sue Poloniae.*

#### §. 4. In Prussia.

IN Diœcesi Varmiensi legitur succinum ad mare, in quo musæ, formicæ, & illiusmodi insecta inserta sunt. Si autem comburatur odor prodest ad expellendas animantes venenatas. Putant etiam prodeſſe infantibus, si eorum ex collo suspendatur contra pauores nocturnos. *Cromerus in Polonia.*